



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Priori Et Fratribvs Andrensibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

ABBATI ET CONVENTUI
sancti Vedasti Atrebatensis.

Epist. 194.
De libertate
ejusdem mo-
nasterij.

EX privilegio felicitis memorie Alexan-
dri Papæ prædecessoris nostri, quod
monasterio vestro concessit, & nos ad
exemplar ipsius duximus innovandum,
evidenter apparet monasterium ipsum
nullo medio ad Romanam Ecclesiam per-
tinere. Licet autem dilectus filius. Atre-
batensis Canonicus nuntius venerabilis
fratris nostri Atrebatensis Episcopi nuper
in nostra præsentia constitutus firmiter
asseruerit quòd tempore bonæ memorie
Urbani Papæ prædecessoris nostri super
hoc inter ipsius Episcopi & tuum, fili Ab-
bas, prædecessores extitit litigatum, quia
tamen privilegium libertatis apparet, &
de ipsius Episcopi jure non constat, ei-
dem Episcopo per nostras litteras duxi-
mus inhibendum ne contra tenorem ip-
sius privilegij vos tam in personis quàm
rebus ad ipsam monasterium pertinenti-
bus molestare præsumat, sed si idem Epif-
copus de jure confidit, causam suam or-
dine judiciario prosequatur. Alioquin sen-
tentiam, si sententia dici debet, quam in
vos Episcopus ipse proferret, decernimus
non servandam, tamquam à non suo ju-
dice promulgatam. Datum Laterani xvi.
Kal. Ianuarij, pontificatus nostri anno un-
decimo.

PRIORI ET FRATRIBVS
Andrensibus.

Epist. 195.
Vt rehabere
valeant posses-
siones pignori
obligatas.
Vide in 9. Spi-
ritus Duch-
vianus pag. 181.

EX parte vestra fuit propositum co-
ram nobis quòd nonnulla ad feu-
dum vestri monasterij pertinentia obliga-
ta potentibus ab infeodatis in pignus, fa-
cta sunt, non quidem de jure, sed tan-
tùm de facto, ab eodem monasterio usu-
ris excrecentibus aliena. Vnde nobis hu-
militer supplicastis ut terras, redditus,
& alia quæ prædicto modo ad monaste-
rium vestrum spectant, vobis, ne omni-
no alienari contingant, in pignus recipere
de nostra permissione liceret, ita vide-
licet quòd recepti fructus vobis compu-
tari non debeant pro usuris. Volentes au-
tem monasterij vestri indemnitate pat-
terna sollicitudine præcavere, annuimus
postulatis. Nulli ergo omnino hominum
liceat hanc paginam nostræ permissionis
infringere, vel ei ausu temerario contrai-
re. Si quis autem hoc attentare præsum-
serit &c. usque in finem. Datum Laterani
xiiii. Kal. Ianuarij, pontificatus nostri
anno undecimo.

ARCHIEPISCOPO ET SVFFRA-
gancis Terraconensis Ecclesie.

EIUS exemplo qui non est Deus dissen-
sionis, sed pacis, volens omnes ho-
mines salvos fieri & ad agnitionem verita-
tis venire, venientes ad apostolicam se-
dem dilectos filios Durandum de Osca &
focios ejus paterna benignitate suscepimus,
& ea quæ nobis tam pro se quàm pro fra-
tribus suis exponere curaverunt pleno
cepimus intellectu. Ex iis ergo quæ nobis
de articulis fidei & sacramentis Ecclesie
diligenter examinati dixerunt cognovi-
mus eos fidem sapere orthodoxam & ca-
tholicam altruere veritatem. Ad majorem
tamen expressionem appositis evangelis,
& scripto confessionis eorum imposito su-
per illa, recepimus ab eis hujusmodi jura-
mentum. Ego, inquit, Durandus de Osca
inter manus tuas consecratus, summe Ponti-
fex Domine Innocenti, Deum invoco testem
in animam meam quòd ita simpliciter & ve-
raciter credo sicut in hoc scripto per omnia con-
tinetur, & contrarium nunquam credam, sed
contrarium credentibus pro posse resistam. Ti-
bi verò tamquam beati Petri Apostoli succes-
sori & Archiepiscopi & Episcopis aliisque
Prælati in quorum diocesis vel parochia
commemorabor obedientiam & reverentiam ex-
hibebo tam debitam quàm devotam. Scrip-
tum autem confessionis est tale. PATEAT
OMNIBVS fidelibus quòd ego Duran-
dus de Osca & I. & E. & B. & omnes fra-
tres nostri corde credimus, fide intelli-
gimus, ore confitemur, & simplicibus ver-
bis affirmamus patrem & filium & spiritum
sanctum tres personas esse, unum Deum,
totamque trinitatem coessentialem & con-
substantialiam & coeternalem & omni-
potentem, & singulas quasque in trinitate
personas plenum Deum, sicut in Credo in
Deum, & in Credo in unum Deum, & in
Quicumque vult continetur. Patrem quo-
que & filium & spiritum sanctum unum
Deum, de quo nobis sermo, esse crea-
torem, factorem, gubernatorem, & dis-
positorem omnium corporalium & spiri-
tualium, visibilem & invisibilem, corde
credimus & ore confitemur. Novi & vete-
ris testamenti unum eundemque auctorem
credimus esse Deum, qui in trinitate, ut
dictum est, permanens de nihilo cuncta
creavit, Iohannemque Baptistam ab ipso
missum esse sanctum & justum & in utero
matris suæ spiritu sancto repletum. Incar-
nationem divinitatis non in patre nec in
spiritu sancto factam, sed in filio tantum, &

Epist. 196.
De negotio
Durandi de
Osca & focio-
rum episc.
Vide lib. 11.
epist. 17. 44
& seq. lib. 11.
epist. 77. 78